

plena virtutibus fovebat et cum
plenebatur spiritualiter ipsa an
te mulieres omnes scientie prece
lente: puto quod intelligit quod aiad
nent. Na alie quide partes gra
m meruerunt. ipa autem plena
gra ab angelo salutata. **Hec an**
telus. Oro. Illuc uiga uesse
florida et fructifera maia uir
go uirgissima. de qua uirgo ille
et singularis flos et fructus pro
dit. uirtutum spiritualium germen eru
pit: flos suauissimus emittens
odorem: fructus sapidissimus in
mens dulcorum. flos cuius uoi
tas expellit mestitiam: fructus
cuius sacietas uenenam dat letitiam
Benedicta uiga de radice uesse:
uirtus et flos: quod de tali ra
dice ascendit. Benedicta arbor ben
dicta et arboris fructus. Tuo er
go flore me recrea: tuo fructu
ab omni miseria me libera: uirgo
maia in eternum benedicta. amen.

De receptioe iohannis bap^{te} Ca. iiii

Vit autem in di
ebus illis salz
in diebus hero
dis regis iudee.
sacerdos quida
noie sachaias

de uice abia: et uxor eius noie

quantum ad obseruanciam ceremonialium:
sine quarela. quantum ad obseruanciam
iudicialium: quod pacifice se ad proxi
mos habebant. Et non erat illis
filius propter sterilitatem: quod est causa
specialis mulieris. Ex quo apparet
deceptio percursoris miraculosa: quod
non fuit tantum per naturam: sed per
naturam gratia diuina adiuta. **T**
Iste herodes de parte ydumeo de
cendens fuit alienigena: et iam cep
trum ablatum fuit de iuda: et
ideo tempus aduentus christi instabat: quod
iacob patriarcha spiritu propheta sig
num aduentus christi predicant. qui reg
num iudee ad alienigenam translatum
esset dicens. Non auferet ceptrum
de iuda etc. **T** Et sciendum est hic
quod cum moyses unicum instituisse su
mum sacerdotem. cui mortuo unus per
ordinem succederet: dauid uolens im
plere cultum domus domini. de xxiiii fa
miliis quod descenderant ab aharone in
stituit uiginti quatuor sacerdotes: su
per quos tamen unus maior erat et su
mus omnium: quod dicebatur princeps sac
dotum. Instituit etiam ut uicissim mi
nistrantes per ebdomadam a sabbo
usque ad sabbatum tempore uias sue
singuli castissime student: nec
interim in domum ipsam intraret:
sed in domibus circa templum

ms. 08/11

alte Nr. 352.

Calixtus, G. mit

Samelband mit insges. 67 Disputationen
philosophischen Inhalts, darunter mit
einige mathematische.

Herman. Comringus

c. 13. 17. c. XL.

F. III. 6.

DISPUTATIO
De
NATVRA ET
ESSENTIA HABI-
TVVM MENTIS IN
COMMVNI,
CVIVS THESESES

AUXILIANTE DEO OPT. MAX.

PRAESIDE

CONRADO HORNEIO,

Philosophiæ moralis Prof. Publ.

in illustri academia Iu-
lia,

Ad IIX. Kal. Decembr.

Publicè defendet

CHRISTOPHORVS Specht

Eimbecensis.



HELMAESTADI,
Typis heredum IACOBI LVCI,

Anno cl^o Is cXXI.



V.V.

*EXIMIA VIRTUTE ET
multarum rerum experientia pra-
stabilibus,*

DN. IOANNI BARDE
ET

DN. EVCHARIO GISMENEN

Imp. Goslariae civibus primarijs,

Fautoribus suis,

dedicat

CHRISTOPHORVS Speche.





THESIS I.

H

Xposituri naturam & essentiam habituum mentis, non in hærebimus explicandæ vocis æquivocationi: notum enim est ex post prædicamentis, multis modis dici habitum, sicut idem inculcatur etiam s. *Metaph. c. 20. & 23. t. 25. & 28.*

Quid dicatur habitus.

Id sciendum est nos hic ita vocare qualitatem sive dispositionem rei superuenientem naturam suam durabilem seu difficulter mobilem, per quam res certo modo disponatur, ut bene aut male se habeat ratione naturæ vel operationis suæ: ita enim definiri potest ex s. *Metaph. 20. & Prædicam. Qualitatis.* Et pertinet hoc sensu ad primam Qualitatis speciem.

II.

Vbi tamen nota primò dispositionis vocabulum recte accipiendum esse: sumitur enim interdum latè, interdum strictè, sicut ipse Aristoteles insinuat in *prædicam.* & notat D. Thomas 1. 2. q. 49. a. 2. ad 3. Latè pro omni eo quod subiectum disponit, sicut in hac definitione accipitur, strictè pro eo quod ita illud disponit ut conjuncta adhuc sit magna imperfectio & mutabilitas, quo sensu in *Prædicam.* dispositiones habitibus contradistinguuntur. Ita calor & frigus dispositiones tantum dicuntur: disponunt enim subiectum, sed facile accedunt & recedunt, similiter etiam sanitas: dispositio præterea est in homine cum pingere quis primum discit seu inchoationem aliquam artis pictoriæ habet. At scientiæ & artes ipsæ habitus sunt, quia perfectius quicquam & magis diuturnum sunt: quod enim non est difficulter mobile non est propriè habitus, sed solum dispositio, inquit, Aristoteles.

Vox dispositionis accipitur dupliciter.



Quomodo
habitus di-
catur ali-
quid dura-
bile.

III.

Deinde observa quod diximus habitum naturam
sua durabilem & difficulter mobilem: nam interdum
etiam dispositio proprie dicta durabilis est sed per ac-
cidens tantum & ratione subiecti. Sic calor, vt diximus,
dispositio est: facile enim si naturam eius in se spectes
accedit & recedit. Neq; minus tamen in hecticis diffi-
culter loco mouetur. Ad eundem modum habitus
quoq; nonnunquam sunt instabiles, cum tamen per se
& naturam sua durare possint. Sic virtutes Theologicæ
Fides, Spes, Caritas, culpa subiecti & hominis cui insunt
facile amittuntur: excutere enim eas & perdere homo
potest, nec minus tamen habitus sunt & ita comparatæ,
vt nisi per subiectum stet, durare perpetuo possint,
sicut recte docet Greg. de Valentia *tom. 2. disp. 4. q. 1.
p. 1.*

IV.

Quid perficiat
in sub-
iecto suo.

Tertio nota quod dictum est habitum disponere
rem vt bene vel male se habeat, aut ratione naturæ aut
ratione operationis suæ: interdum enim primo perfici-
cit naturam, interdum & præcipue operationem. Sic
lumen gratiæ secundum Thomam perficit primo ani-
mam ipsam, novumq; ei esse conciliat, at virtutes Theo-
logicæ, quæ ex lumine illo ortum trahunt, perficiunt pri-
mo operationes. Hominem itaq; novam creaturam esse
ab habitu illo gratiæ est iuxta ipsum, quod autem i-
dem exercent novos actus, est à fide, spe & cæteris virtu-
tibus, vt ita gratia ipsa naturam disponat ad esse aliquid
novi, virtutes ad agere. Sed alij aliter hinc sentiunt, &
quicquid ea de re sit, præcipue tamen omnis habitus
ordinatur ad operationem, vt ipse Thomas docet *l. 6.
q. 3.*

V.

Cæterum vt natura habituum rectius adhuc intel-
ligatur, quatuor ista cum primis explicanda sunt: *Primo*
in quo subiecto sint: deinde quomodo producantur: ter-
tio

no an & qua ratione augeantur: quarto deniq; quomodo
diminuantur & corrumpantur. Multis hæc pertractat
Thomas 1. 2. à q. 50. ad 54: nos præcipua tantum excer-
pemus.

VI.

Nihil autem notius est quam certas tantum res esse
se quæ subiectum tum dispositionum tum habituum esse
se possint: nec enim omnibus hoc competit. Thomas l. c.
q. 49. art. 4. tres condiciones in re aliqua requirit, ut
subiectum habitus aut dispositionis esse queat. Prima
est, ut in potentia sit ad aliud: disponi enim nihil potest
aut habile reddi, nisi quod in potentia est ad certum
quidquam à quo actuatur. Altera est, ut potentia illa
ad ea à quibus actuatur indifferenter sese habeat. Ter-
tia, ut diversimode actuari ab eis possit: quod enim sua
natura determinatum est ad vnum tantum, idq; suffici-
enter & promptè satis præstare potest, illud à superve-
niente qualitate nec ad vnum determinari nec prompt-
ius reddi ad functionem suam bene obeundam po-
test.

De subie-
cto habitu-
um.

VII.

Vnde primò efficitur nullum habitum aut dispo-
sitionem cadere in Deum opt. max. nec sapientiam aut
virtutem ad eum modum ipsi inesse: præterquam enim
quod habitus sint qualitates & accidentia, prima illa
conditio hic deest, cum sapientia & virtus divina ipsa
Dei essentia sint, ut rectè docet Thomas 1. contra gentes c.
92. & p. 1. q. 14. a. 4. Relinquitur itaq; quod tantum crea-
turis competant.

In solis cre-
aturis,
sunt.

IX.

Deindè & hoc facile intelligitur, nullos habitus, pro-
prie loquendo, siue disponant ad Esse, siue ad operatio-
nem, esse posse in corpore. Id sic ostenditur. Qui dispo-
nunt ad Esse, non reperiuntur in corpore, quia corpo-
ris qualitates causas durabiles non habent, cum tamen,
ut supra patuit, habitum necesse sit esse aliquid durabi-
le.

Nec in cor-
pore pro-
prie, sed a-
nimo tan-
tum.

le. Sed nec qui disponunt ad operari, cum operationes quæ à corpore primò oriuntur naturâ sua ad vnum sint determinatæ. Vbi notandum est, quoties animæ facultates per membra corporis functiones suas exercent, habitum qui principium est functionum illarum, in ipsis animæ potentijs primò & proprie residere.

IX.

Scotus &
Gabr. con-
trarium
sentiunt.

Equidem Scotus 3. sent. dist. 33. q. unica ad 3. in fine etiam in ipsis membris corporis per crebras actiones veros habitus gigni statuit. Conceditur, inquit, quod in parte corporis potest esse virtus & habitus, sicut patet in manu pictoris & scriptoris. Et iterum: Manus mea in exercitata inhabilis est in illa facultate quæ est ad pulsandam citharam, exercitata autem est habilis, quod non est nisi habilitate inherente manui. Idem ex Occamo docet Gabriel ibid. dist. 23. q. 1. a. 3. dub. 1. propos. 1.

X.

Refutan-
tur.

Sed sine dubio rectius sentit Thomas q. 50. a. 3. ad ult. Cajetanus, Conradus, & Greg. de Valent. habitus omnes principaliter & proprie hæere in animo. Causa in promptu est: habitus enim primo competit ei quod non tantum ex sese ipso indeterminatum est ad plura, sed & per se producit actionem. At quicquid fit per membra corporis id omne determinationem à sola anima accipit; estq; hæc præterea vnica & vera eiusmodi actionum causa. Cum enim membra illa, vt suo loco ostendimus, instrumenta tantum animæ sint, quicquid agunt, ab animo est, cumq; hic planè herile imperium in ea exercent, vt refragari ipsi planè nequeant, omnem etiam determinationem ad hoc aut illud obiectum ab ipso solo recipiunt. Sicut itaq; cum faber opus facit malleo, promptitudo actionis illius, quodq; hoc aut illud fiat, non est in malleo sed in fabro: ita nec manuum aut pedum vel reliquorum membrorum agilitas, studio & labore comparata, tam membris inhæret, quam animæ facultati membra mouenti,

11. Ne-

XI.

Negari equidem nequit, crebrum & continuum exercitium non nihil etiam membra habilitare & re-
 us disponere ad actionem aliquam suscipiendam, quam
 alias disposita erant. Sic si manus ex humore fortè ali-
 quo torpeat, discuti ille per crebram exercitationē po-
 test. Sed hæc dispositio vt non est nisi materiale tantum
 principium actionis quam postmodum manus exer-
 cet, ita materialiter etiam se habet ad actionis illius
 promptitudinem. Quemadmodum enim agens nul-
 lum agere potest, nisi materia sit disposita, nec tamen
 dispositio materiæ principium actionis per se est, sed ef-
 ficiens, ita etiã promptitudo actionis in manu supponit
 quandam materiæ dispositionem, ipsa tamen in illa di-
 spositione primò non consistit. Eadem ratio est de cœ-
 teris membris corporis.

Quid con-
 ferant ha-
 bitus mem-
 bris corpo-
 ris.

XII.

Quapropter, vt diximus, habitus illis primò &
 principaliter competere nequeunt: quod si autem com-
 petunt, fit hoc secundario, id est, conciliant habitus illi
 in animo maiorem aptitudinem corpori ad eius fun-
 ctiones recipiendas, nec tamen illa aptitudo proprie
 est habitus, sicuti Thomam explicat Valentia, sed di-
 spositio tantum aliqua habitualis passivè se habens, siue
 corpus proclive reddens ad patiendum, cum habitus
 proprie gignant proclivitatem ad agendum, vt vult
 Conradus 1. 2. q. 56. a. 5. Hoc secundum est.

XIII.

Tertio sciendum est, etsi habitus sunt in anima,
 nec in omni tamen ea, aut omnibus eius facultatibus e-
 os reperiri. Certe in anima vegetante non dantur:
 nec enim facultates eius vltiori perfectione indigent,
 nec indifferentiam habent, vt sic aut aliter agant, cum
 iam à natura ad actus suos sufficienter instructæ & deter-
 minatæ sint. Ita facultas nutritiua, modo viscera sana
 sint, recte satis suo officio fungitur. Relinquuntur er-
 go a-

In qua fa-
 cultate ani-
 mæ reperi-
 antur.

go a-

go anima sentiens & rationalis. De rationali difficultas non est: tam enim intellectus quam voluntas habitibus perficitur, cum vtraq; potentia bene & male ad operationes suas disponi possit.

XIV.

Quomodo
competant
facultati
sensitivæ.

Tantum de potentijs animæ sensitivæ controuersia manet. Thomas q. cit. art. 3. ita hac de re censet: *Vires sensitivæ dupliciter possunt considerari, inquit, vno modo secundum quod operantur ex instinctu nature, alio modo secundum quod operantur ex imperio rationis. Secundum igitur quod operantur ex instinctu nature, sic ordinantur ad unum, sicut & natura, & ideo sicut in potentijs naturalibus non sunt aliqui habitus, ita etiam nec in potentijs sensitivis secundum quod ex instinctu nature operantur. Secundum vero quod operantur ex imperio rationis sic ad diversa ordinari possunt, & sic possunt in eis esse habitus aliqui, quibus bene aut male ad illud disponuntur.* Hæc ille.

XV.

Nec dubium est quin sit alia ratio de anima sentiente atq; externis membris corporis: ita enim imperio rationis obediunt, vt ipsæ tamen simul ad actionem concurrant, & indifferentiam ad obædiendum & repugnandum ex seipsis habeant. Quare etiam habitibus perfici possunt, cumq; id appetunt quod debent prompte & alacriter, promptitudo ea non tantum in voluntate imperante, sed in ipsis etiam residet, sicut & actionis in sese principium aliquod sunt.

XVI.

Sed nota hîc, istud de ijs tantum potentijs dici quæ rationi parent, & prout in homine sunt. Tales sunt appetitus sensitivus & sensus interiores, vt memoria & imaginatio: nam & hæ consuefieri possunt, vt promptius quam solent officium faciant. At in sensibus exterioribus nulli esse possunt: naturâ enim officium suum sufficienter faciunt, nec indifferentiam habent.

XVII.

De potentijs autem sensitivis in vniversum vt sunt in brutis res liquida non est. Notum est bruta animantia multa edoceri, multaq; tam artificiose sæpè agere, vt & homini inimitabilia sint. Cuius rei plurima exempla accumulât Plutarchus *lib. de solert. animal.* & exertè de elephantis scribit *cap. 26.* eos si erudiantur ab homine, ostendere in theatris eas gestuum figuras & varietates sæpe, vt copiam & concinnitatem eorum difficile sit humana industria exprimere aut memoria complecti. Vnde Aristot. *9. de histor. anim. cap. 46.* de iisdem: *Multa erudiantur & sciunt, quando & regem adorare condiscunt.* Et Strabo *lib. 15.* Adeo mansuescunt, vt lapidem ad scopum iacere & armis uti & optimè naturæ ediscant. Plura habet Plinius & Aelianus, ad miraculum vsque, quæ ex omni antiquitate collegit peculiari ep. ad Ianum Hautenum Lipsius. Quæritur igitur, an etiam in brutis sint habitus proprie dicti? D. Thomas *art. 3. ad 2.* quo minus veri habitus sint hoc deesse putat, quod dominium eorum & potestas vtendi ijs in brutis non sit: cum enim ad habitum pertinere videatur, vt secundum eum agamus cum volumus, sicut dicit Averroes *3. de anima t. 18.* bruta autem omnia illa agant non tam proprio motu quam homine ad id inducente, proprie habitus non esse censet. Nihilominus tamen quia per illam qualitatem longa consuetudine disponuntur ad agendum sic vel aliter, putat quodam modo habitus dici posse. Conradius habituales dispositiones vocat. Gregorius de Valentia solis potentijs naturalibus ea fieri posse putat, vt assuefactio tantum quædam conditio sit ad naturaliter eo modo operandum requisita, quod tamen quid sit non assequor. Scotus *loc. supra cit.* veros habitus esse vult simpliciter. Nos item vel esse tales, vel à veris habitibus parum distare censemus. Tantum de subiecto habituum: nam an etiam in angelis esse possint ad scholas theologicas pertinet disputare.

B

18. Cæ-

An cadant
etiam in
bruta.

De causa
efficiente
habituum.

Thom.
nonnullos
dicit à na-
tura pro-
duci.

Cæterum causam quæ producit habitus triplicem statuit Thomas, alios à natura inesse docet, alios acquiri actionibus & industria nostra, alios deniq; à Deo ipso infundi. Inter habitus à natura insitos præcipuum facit habitum principiorum: *intellectus*, inquit, *dicitur esse habitus naturalis: ex ipsa enim natura anima intellectualis convenit homini, quod statim cognito quid est totum & quid est pars, cognoscat quod omne totum est maius sua parte.* Nec tamen simpliciter eum facit naturalem, sed tantum secundum inchoationem aliquam; quod usus eius nullus esse possit, nisi species intelligibiles adsint, hæ autem non natura insint sed acquirantur. Vnde subiicit: *Sed quid sit totum & quid sit pars, cognoscere non potest nisi per species intelligibiles à phantasmatis acceptas, & propter hoc philosophus in fine poster. ostendit, quod cognitio principiorum proveniat nobis ex sensu.* Hæc Thomas. Idem ad habitus naturales refert, quod propter corporis temperiem & organorum dispositionem hominum vnus altero nonnunquam ad hoc vel illud intelligendum, & ad hanc vel illam virtutem addiscendam natura aptior est. Et videtur eiusmodi habitus ipse quoq; philosophus agnoscere, cum *6. Eth. c. 13. & 5. Eudem. c. eod.* non tantum doceat hominum nonnullos natura fortes esse, nonnullos item ad temperantiam aut iustitiam proclives nasci, sed expresse etiam dicat pueris ac belluis naturales habitus inesse.

XIX.

Refutatur.

Verùm quicquid huius sit, nobis verisimile non fit, habitum vllum proprie loquendo à natura esse posse, siue potius id habitum proprie dici, quod à natura rei inest, vt iam supra in descriptione eius innuimus. Et potest hoc ex ijs quæ antè ex ipso Thoma docuimus facile ostendi. Si enim ad subiectum omnis habitus, imo etiam dispositionis proprie loquendo, requiritur, vt non tantum ex se indifferens sit ad plura, sed etiam vt possit diuersimodè ad illa disponi, nec habitus princi-

pio-

piorum naturalis est, ita ut natura causa eius sit præcisè,
nec cæteræ illæ naturales inclinationes veri habitus,
quia præcisè à natura sunt.

XX.

Nec verò, quod sciam, auctores adeo multi sunt
qui cum Thoma habitum principiorum naturalem fa-
ciant. Tantum Durandum 3. d. 33. q. 1. ad 2. & ex recen-
tioribus Dominicum Soto lib. 1. de iustit. & iur. q. 6. a. 1. &
Medinam 1. 2. q. 51. a. 1. ita sentire dicunt Conimbri-
censes, & idem innuere Capreol. in 3. q. prolog. respons. ad 3.
arg. cont. 1. conclus. Idem etiam docet Valentia.

XXI.

Non esse naturalem sed acquisitum docent Sua-
rez in metaph. tom. 1. disp. 1. sect. 4. n. 15. & Conimbricens. 1. Habitus
principio-
rum æquè
ac alij ac-
quiritur,
post. cap. 1. q. 1. a. 4. qui & Aristot. citant 2. post. cap. ult.
Thom. 2. cont. gent. cap. 78. Ferrar. ibid. ad rat. 3. Caietan.
1. 2. q. 50. art. 1. & plures auctores aiunt pro ista sententia
allegari ab Abulensi super cap. 23. exodi q. 67. Et verò rem
ita se habere optime ostendit Suarez, cuius verba ideò
adscribemus. Aristoteles, inquit, utrumq; posuit scil. & ha-
bitum principiorum esse virtutem distinctam à sapientia (de ea
enim re illie agit) ut constat ex citato loco 6. Eth. & esse habi-
tum quem nostris actibus comparamus, ut ex eodem loco & ex 2.
post. c. ult. facile sumi potest. Nam in priori loco manifeste po-
nit illum inter habitus seu virtutes intellectus. Si autem non es-
set res distincta ab ipsa facultate intelligendi, impropryissimè imò
& falso diceretur, esse habitum intellectus. In posteriore autem
loco apertius sentit esse habitum non à natura inditum sed acquisi-
tum, non per discursum sed per simplices actus ex sola terminorum
propositione & intelligentia comparatos. Et re vera hoc posterius
sequitur ex illo priori. Nam si hic habitus non esset facilitas ali-
qua usu comparata ad similes actus promptius eliciendos, nulla
esset ratio aut fundamentum cur existimaretur esse qualitas aliqua
distincta ex natura rei à lumine naturali intellectus, seu ab ipsa fa-
cultate intelligendi, tum quia ut Aristoteles dixit 3. de anima c. 4.
intellectus naturà suà est pura potentia in ordine intelligibilium &

tanquam tabula rasa; tum etiam quia si natura ipsa dedisset totam vim que ex parte potentia necessaria est ad eliciendos hos actus, non tantum quoad substantiam, sed etiam quoad promptitudinem & facilitatem, persuasacaneum fuisset multiplicare entitates in ipsa facultate intelligendi, sed ipsa posset & deberet in suamet intrinseca entitate fortior & efficacior constitui, neq; esset ullum iudicium ad illam distinctionem entitatum colligendam: sicut si voluntas natura sua ita est prompta & facilis ad amandum bonum in communi, ut non possit per actus promptior & facilior reddi, optimum argumentum est, non habere illam promptitudinem per habitum innatum sed per suamet entitatem. Et similiter visus quia ex natura sua habet totam inclinationem & efficacitatem quam ex parte sua habere potest ad eliciendum actum videndi, recte colligimus habere totam illam vim & inclinationem per intrinsecam facultatem & entitatem suam indivisibilem, & non per aliquam aliam à natura inditam. Vnde D. Thomas 1. 2. q. 51. a. 1. sensit hunc habitum non esse naturalem secundum se sed quoad inchoationem quandam, quia scilicet actus per quos acquiritur non sunt per discursum habitus, sed immediate ab ipso natura lumine profluunt, quamvis in principio & ante habitum non emanent cum tanta promptitudine & facilitate, sicut post acquisitum habitum. Hæc ille.

XXII.

Vnde intelligi potest quidnam in cognitione principiorum naturali potentia & ipsi lumini intellectus, quid habitui deferendum sit. Quæ, si vera sunt, ut sunt nostra sententia, habitus principiorum innasce nobis aut naturalis dici non potest, nisi ideo fortè, quod circa ea versatur facilius & promptius percipienda, quæ vulgo natura nota vocantur. Tantum nota, quod Suarez dicit Thomam habitum principiorum ex parte tantum naturalem facere, quia simplicium terminorum notitiam acquiri concedat, sicut ipse etiam Thomas id dicit, id vix recto talo stare: cum enim notitia simplicium terminorum ex quibus principia constant, multum differat à iudicio de compositione eorum adeoq; cognitione

tionæ ipsorum principiorum in se, ipsa facere nequit vñ
cognitio ista acquisita dicatur, sicut nec lumen intelle-
ctus, cuius beneficio primum cognoscuntur, & ante-
quam accedit habitus, naturale ea de causa esse desi-
nit.

XXIII.

De inclinationibus autem illis naturalibus, quæ Inclinatio-
in certis indiuiduis propter organorum dispositionem nes in cer-
tam ratione intellectus quàm voluntatis nonnunquam tis indiui-
reperiuntur, dicimus habitus propriè eas non esse sed duis poten-
naturales tantum potentias, sicut ex parte etiam id ex- tiæ natura-
plicatum est supra. Nec obstat quod Aristoteles vir- les tantum
tutes vocat, item naturalem fortitudinem, temperan- sunt.
tiam & naturales habitus, cum abutatur vocabulis tan-
tum, vt ipse disertè fatetur. Idem facit 1. Polit. c. 2. vbi
vno & eodem commate nomen virtutis nunc nudæ
potentiæ naturali, nunc virtuti propriè dictæ accom-
modat. Verba sunt: *Vt homo perfectionem nactus animanti-
um est optimum, sic cum à lege iustitiæq; discessit omnium pesti-
mus est: importunissima enim est armata iniustitia. At homo
prudentia & virtute armatus est à natura, quibus maxime po-
test in res contrarias uti. Itaq; impie nefarius atq; immanissimus
absque virtute sit, & in Venerem & gulam turpissimus.* Hæc
Philosophus.

XXIV.

Vbi manifesto virtutem & prudentiam verbis
prioribus vocat naturalem procliuitatem ad vtramque:
hac enim abuti tantum possumus, ipsa virtute non pos-
sumus, vt insinuatur 2. Ethic. cap. 6. t. 41. & multis dedu-
cit D. Augustin. 2. de lib. arbitr. cap. 19. Et tamen posteri-
ora verba loquuntur de virtute propriè dicta. Virtu-
tes itaq; & habitus naturales vocat insignem aliquam cet virtu-
procliuitatem naturalem & indolem ad hunc vel illum tes & habi-
habitum, ad hanc vel illam virtutem. Nec minus ta- tus natura-
men procliuitas illa propriè habitus aut virtus non est, les.
nec id vult Aristoteles, cum alias otiosè habitus à natu-
B 3 rali-

ralibus potentijs in prædicamento Qualitatis distinxis-
set. Ex quibus omnibus manifestum est à natura ipsa
proprie habitus non oriri: quod enim præcise à natu-
ra est, id potentia naturalis est.

XXV.

Quæ tamen cum dicimus, non negamus si habitus
quisquam homini infundatur ab instanti natiuitatis,
cum naturalem dici posse, hoc est, naturæ congenitum;
quæ ratione omnes virtutes Theologicæ naturales no-
bis essent, si Adam in integritate perstitisset. Sed etiam
hi habitus etsi cum natura inciperent, & eo sensu re ve-
ra naturales essent, tamen non essent à natura, nec cau-
sa eorum natura esset, sed huic eiusq; potentijs ab illo su-
peruenirent, qui etiam nunc homini Christiano eos
largitur.

XXVI.

Multo minus id negamus, posse à natura aliquid
inesse quod ad instar habitus nobis adhæreat & durabi-
le sit, atq; ideo habituale aliquid vocetur. Ita morbi
hereditarij & chronici habituales dicuntur: ita quoque
hectica febris appellatur nonnunquã apud medicos o-
mnis febris contumax, & opponitur schetica, siue ei quæ
facile expelli & fugari potest. Ad eundem modum pec-
catum originale à Theologis nonnunquam habitus &
habituale aliquid dicitur, vt eò rectius distinguatur ab
actuali: cum enim hoc transeat, illud perpetuo & tena-
citer inhæret. Nec tamen aut morbus, aut peccatum
proprie habitus est, sed labes & corruptio pessima, ad
modum habitus subiecto inhærens, sicut prauam con-
cupiscentiam & sine metu Dei, sine fide esse, ideo malos
habitus appellari disertè docet apologia Augustinæ
confessionis, vt constet *non actuales culpas esse sed durabiles
defectus in natura non renovata*. Manet ergò nullum habi-
tum, vt diximus, proprie ita vocatum à natura esse.

XXVII.

Habitus ac-
quisiti.

Gigni autem eos per actus nostros nullum est du-
bium

bium, idq; cum experientia testatur, tum multis docet
Aristoteles 2. Eth. 1. Omnes, inquit, habitus ex operationibus
similibus fiunt. Et paullo ante: Sicut edificando homines fi-
unt edificatores, citharam pulsando citharædi; ita mala agendo
mali fiunt, bona agendo, boni. Cum enim res quæ habitibus
perficiuntur ita producant actus certos, ut principium
agendi sufficiens tamen ab omni parte non sit, crebro
idem agendo confirmantur & supplementum principij
illius acquirunt. Quæ vero habituum subiecta esse non
possunt, in ijs principium agendi iam ante sufficiens est.
Ita ignis cum præsentem materiam dispositam semper urat
tam perfecte quam id absolute fieri potest, crebro vren-
do qualitatem novam non acquirit: at qui cithara cæ-
nit, is quia actum illum initio tam perfecte non produ-
cit, quam in se produci ille poterat, defectum istum
continuo exercitio supplet.

XXIIX.

Dixeris hinc fortè non posse fieri ut ab actu produ-
catur habitus, cum actus aliquid sit imperfectius ipso:
quia enim habitus nobiliores actiones producit, quam
eæ sunt quæ à naturali potentia proficiscuntur, ipse
quoq; nobilior sit istis actibus oportet. Sed respon-
deo, animam producere habitum: actus autem illos na-
turalis potentia instrumenta tantum animi in hoc ne-
gotio esse: animus enim idem sæpe agendo semet ipsum
perficit.

XXIX.

Verum hic quæri potest, annon interdum et-
iam vnus actus gignendo habitui sufficiat? In voluntate
quidem, appetitu sensitivo & sensibus interioribus id
nō contingit, sed crebris ibi opus est: at nec in intellectu
ad habitum, ut vocant, opinatiuum generandum. Suf-
ficit tamen interdum vnus actus ad scientiam conclu-
sionis acquirendam. Ostenditur hoc ita. Voluntas non
potest determinari ad agendum quidquā vno actu: ob-
stat enim libertas eius, quodq; in particularibus occu-
petur,

An vno a-
ctu acqui-
ri possit
habitus.

petur, actionesq; illius certas & multas circumstantias
requirant. Ut itaq; constanter velit etiam vna in re quod
velle debet, pluribus actibus consuefieri eam oportet:
nec tantum enim velle rem illam debes, sed eo modo &
ratione qua velle decet. Similiter res se habet de ap-
petitu sensitivo. Libertatem enim aliquam participat
à voluntate, & æque circumstantijs est alligatus pluri-
bus. Quo accedit, quod post lapsum propter corru-
ptionem naturæ proclius in se etiam alias est ad rebel-
landum rationi & voluntati, vnde non ita facile subigi-
tur. De memoria & cogitativa facultate experientia i-
dem docet: nec enim facile quid meminimus, nisi plu-
ries vnā rem meditemur.

XXX.

At intellectus alia est ratio. Sanè syllogismus pro-
babilis & argumenta topica nec illum vnā vice determi-
nant ad assentiendum rei constanter & perpetuò, sed
plures rationes hinc concurrere oportet: vnde nec opi-
nio vno actu gignitur, opinio, inquam, loquendo de
habitu siue durabili opinione. Verum vbi demonstra-
tionibus res geritur, etiam vnus syllogismus sufficit: vna
enim demonstratione couinci intellectus potest, vt
sufficienter conclusioni alicui adsentiarur. Ratio in
promptu est: cum enim demonstratio causam adsignet,
evidentiam rei conciliat. Intellectus autem cum evi-
dens res est non potest non assentiri, vt suo loco docui-
mus. Nec tantum necessario hoc facit, sed tam firmiter
& constanter, vt postmodum assensus ille nunquam
tollatur. Et est eiusmodi scientia vnus conclusionis
habitus aliquis partialis, licet ab habitu totius alicuius
obiecti siue generis differat, cum non tantum per eam
qualitas aliqua de nouo acquiratur subiecto, sed, vt di-
ximus, etiam durabiliter illi inhæreat. Ita cognoscere
eclipsin, est percipere illud quod naturā ignotum erat.
Est præterea constans aliquid: qui enim semel causam
eius cognovit nunquam post ea de re dubitat. Scientia
itaq;

itaque illa non est naturalis potentia sed habitus aliquis.

XXXI.

Sed & hic porro quari potest, an quum plures actus ad unum habitum acquirendum concurrunt, habitus ille introducatur per omnes ex æquo, an per ultimum tantum? Thomas 2.2.q.24. a.6.ad 2. censet, per ultimum tantum eum introduci. *In generatione virtutis acquisita, inquit, non quilibet actus complet generationem virtutis, sed quilibet operatur ad eam ut disponens, & ultimus qui est perfectior, agens in virtute omnium præcedentium, educit eam in actum, sicut etiam est in multis guttis cavanti: us lapidem.* Thomæ contradicit Gabriel 3. sent. d. 23. q. 1. a. 3. dub. 4. Verba eius sunt: *Cum habitus & virtus generatur ex actibus, quilibet actus gignit aliquam partem habitus, quam vocamus gradum. Partem dico certæ intensiōnis maiorem vel minorem, secundum quod actus ipse est perfectior vel minus perfectus, puta secundum quod est diuturnior aut etiam maiori conatu potentiæ elicitur. Item: Per actus singulos aliquis gradus gignitur, quibus unitis & intensis virtus nominatur. Et iterum: Sic etiam videre est de guttis lapidem cavantibus: nam qualibet gutta aliquid operatur in lapide cavando, licet sensu inperceptibile, donec frequenter cadentibus guttis appareat lapidis cavatio.* Ita Gabriel.

An cum plures actus ad habitum concurrunt omnes aliquid eius producant.

XXXII.

Verum sententiâ Thomæ nobis probabilior apparet, cum nullus habitus talis introducatur nisi per sufficiens exercitium; tum autem hoc sufficiens est, cum ultimus actus elicitur. Ita etiam guttæ præcedentes nihil abradunt à lapide, sed lapidem disponunt tam diu donec vnus ex sequentibus particulam aliquam auferat; is, inquam, qui terminus est exercitij illius, quod ad abradendum aliquid requirebatur. Sic sentit etiam Greg. de Valentia. Et certe, si singuli actus producant aliquid habitus alicuius, iam tales habitus etiam per vnum actum possunt produci, nec discrimen est inter scientiæ habitum & cæteros. Hæc est ratio habituum nostræ industria acquisite.

C 23. Ca.

XXXIII.

Habitus in
fusi.

Cæterum sunt alij adhuc qui à Deo ipso infundun-
tur, vt in scholis theologicis docetur: cum enim Fides,
Spes, Caritas, qualitates sint naturâ suâ durabiles & ho-
mini superuenientes, subiectum item, in quo sunt, aptū
reddant ad certas actiones edendas; nec tamen nostris
viribus, sed per gratiam diuinam nobis obtingant, ha-
bitus sunt, sed longe alius generis quàm cæteri.

XXXIV.

Infusum
per se &
per acci-
dens.

Potest autem dupliciter aliquid dici infusum, vt no-
tat Thomas 1. 2. q. 51. a. 4. per se & per accidens. Infusum
per se dicitur quod tale est, vt nisi infundatur esse neque-
at, siue quod simpliciter à nobis & nostra industria pro-
duci non potest. Talis est vera & saluifica Fides, cari-
tas Christiana &c. Infusum *per accidens* vocatur, quod ta-
le est vt possit etiam à nobis industria nostra acquiri,
sed aliquando de factio sine nostro labore à Deo produ-
citur. Hoc modo infundebatur scientia linguarum Apo-
stolis die Pentecostes: cum enim illarum cognitio aliàs
paretur nostra industria; Apostolis tamen per so-
lam gratiam diuinam concessa fuit. Nec mirum hoc
est, cum Deus opt. Max. non tantum largiri possit &
largiatur ea quæ supra naturæ vires sunt, nec nisi ab ipso
solo proficisci possunt, sed nonnunquam etiam illa sine
concurſu causarum secundarum producat, extra ordi-
nem, quæ alias ordinariè per illas comparari possunt &
solent. Tantum de causa habituum.

XXXV.

De aug-
mento ha-
bituum.

Dicuntur autem habitus augeri non ratione formæ
in se, siue specifici & essentialis conceptus sui: *id enim à
quo aliquid habet speciem oportet manere fixum & stans in indi-
uisibili*, ait Thomas, sed ratione participationis formæ
illius in hoc vel isto indiuiduo. Quatenus enim vnum
indiuiduum perfectiùs post recipit formam illam acci-
dentalem quam largitur habitus, atq; priùs, eatenus ha-
bitus ipse augeri dicitur. Et potest hoc fieri dupliciter:
vel enim perfectior redditur in aliquo indiuiduo ratio-
ne ob-

ne obiecti, prout ad plura se postmodum extendit. Ita scientia rerum naturalium augetur in Petro, cum plurimum conclusionum physicarum cognitionem sibi acquirit quam antè habebat: vel perficitur quatenus forma illa subiectum magis magisq; sibi subijcit, licet ad nova obiecta non porrigatur. Ita maior promptitudo est in vno indiuiduo quam in alio, etiam cum plura indiuidua circa vnum & idem obiectum versantur, & vno ac eodem habitu prædita sunt. Sic habitus augentur.

XXXVI.

Postremo corrumpi possunt itidem dupliciter, per se & per accidens. Per accidens, cum subiectum interit & corrumpitur aut vitatur cuius sunt habitus, siue illud sit primarium, siue secundarium. Per se, cum ipsi tolluntur per actus contrarios.

De corrup-
tione co-
rum.

XXXVII.

Vtroq; modo corrumpi dicit Thomas habitus corporis: sed hi veri habitus non sunt, vt supra ostensum est, Neutro modo corrumpitur habitus principiorum: non tantum enim intellectus, cui inhæret, immaterialis est & incorruptibilis, sed tanta etiam illorum principiorum euidencia, vt contrarium sentire nemo possit. Vnde nec à contrario actu destrui planè possunt, præsertim illa maximè communia; etsi minus communia interdum obliterantur, vt ex 6. *Ethic. cap. 3. t. 49.* notum est. Vtroque modo rursus corrumpi possunt scientiæ & virtutes. De scientijs hoc liquet: sicut enim acquiruntur per demonstrationes & vera principia, ita expelluntur & ex animo delentur per demonstrationes sophisticas & falsas propositiones. Et quanquam subiectum primarium illarum intellectus incorruptibilis in se sit: corrumpi tamen virtus imaginatiua potest, & eo etiam modo scientia tolli. De virtutibus non minus id constat: dum enim non exercentur bonæ actiones, paulatim succre-

succrescunt contraria, & contrarium habitum, altero expulso, introducunt. Ita corrumpuntur habitus.

XXXIIX.

An sola intermissione actuum corrumpi possit habitus.

Vnde etiam de diminutione eorum facile conijcere est: actus enim contrarij ideo tandem corrumpunt habitum, quia magis magisque diminuunt. Gabriel *loc. sup. cit. dub. 6.* statuit etiam sola cessatione & intermissione actus proprij diuturniore habitus diminui & corrumpi posse. Duas enim causas corruptionis & diminutionis ponit: vnam contrarium habitum, alteram, negligentiam & longam cessationem.

XXXIX.

Argumentatur & mentem suam explicat hoc modo: *Sicut, inquit, habitus generatur ex actibus, ita ex iisdem conseruatur, non quidem simpliciter, quod non possit esse sine actibus, sed quod non possit diu manere sine actuum frequentatione, sicut manifesto patet in habitibus memoria.* Et postea subiicit: *Ratio autem huius non est alia, nisi natura habitus: sunt enim quedam ita à Deo condita, ut non solum contrario positivo corrumpantur, sed etiam continuo fluant ad non esse, nisi conseruentur ab alio; quorum aliqua ipse institutor natura conseruat immediatè, sicut angelos et spiritus rationales; aliqua conseruat mediatè sicut lumen mediante luce, vel luminoso. Et horum aliqua sic mediatè conseruat, quod cessante mediato conseruante statim desinunt conseruata per ipsum, quedam non statim, sed remoto conseruante (non Deo sed medio siue minus principali) successinè corrumpi incipiunt, & non diu permanent.* Hæc Gabriel.

XL.

Verum Thomas hoc negat, & tantum per accidens illa omnia fieri dicit, hoc est, quatenus dum cessatur ab actibus proprijs contrarij suboriuntur. Vbi tamen per contrarios actus, explicante eum Valentia, intelligit actus vel oppositos & re vera contrarios, vel saltem

tem alienos ab illis, qui habitui proprij erant, ita vt si
simul his & illis vacare animus nequeat. Sententiam
Thomæ hoc modo explicatam defendit contra Gabrie-
lem idem Valentia.

XLI.

Argumentatur autem ex fundamento contrario
ita. Si non potest ostendi, habituum conseruationem
dependere ab actibus, actuum intermissio per se quoq;
caussa non est imminutionis aut corruptionis eorum.
Sed non potest hoc ostendi: cum enim actus ilicò tran-
seant, *non habemus*, inquit, *vllum certum argumentum cur
sentiamus ab illis quoad conseruationem dependere habitus.*


XLII.

Sed quicquid eius sit, non videtur de nihilo esse
quod Gabriel dicit: etsi enim euidenter ostendi fortè
alias nequit, habitus per actus conseruari, ipsa tamen
experientia docet eos expirare, cum diu exercitium
suspenditur, etiamsi actus contrarij aut tales, qui cum
illis quoquo modo pugnent, non interuenerint. Equi-
dem excepit iam contra hoc Valentia, cum diceret, a-
ctus repugnantes vocari etiam alienos, quiq; ita ab acti-
bus habitui alicui proprijs discrepent, vt simul exerce-
ri cum illis non possint. Vnde dicit, nec requiri vt a-
ctus illi contrarij sint circa idem obiectum specie.
Sed nescio an hoc rem efficiat. Si enim ideo tantum
actus nonnulli contrariari dicuntur habitui alicui, &
habitum imminuunt, quia exercitium illorum, si fre-
quens & diuturnum fuerit, incompatible est cum exer-
cizio habitus, vt loquitur Valentia; item quia actus illi
impediunt, quo minus actuum habitui illi priorum
simul tunc esse possit exercitium facile & assiduum, non
video, quidnam aliud habitum illum tum tollat, aut im-
minuat, quàm actuum priorum intermissio.

XLIII.

Id sic ostendo. Actus enim illi alieni vel offici-
unt

unt habitui isti, quatenus sunt actus tales, vel quatenus
plures actus simul esse etiam alias non possunt. Non
quatenus sunt tales: si enim contrarij non sunt nec sibi
inter se vlllo modo oppositi, simul esse in eodem subie-
cto, quod ad naturam illorum attinet, vtique possunt.
Ergo quatenus plures actus simul esse nequeunt, adeo-
que quatenus vnus positio est negatio & exclusio alte-
rius. Quare ad huc manet, interdum habitus perire per
id solum, quod actus ijs proprij cessent, & ab alijs ex-
ercitium eorum excludatur, etiam qui illis nul-
lo modo ratione suæ naturæ & essentiæ
repugnant.







94 A 7363

ULB Halle 3
002 826 550



5b.

V47

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
Campus in Berlin-Potsdam
Via Lovienaa kam für illu



visibile voluit ex uirgine sumere: con-
grue debuit corporali specie apparere
formavit autem angelus corpus
sibi lucidum: quod secundum Augustinum facie
rutilans et veste choruscans uir-
gini apparuit. Conuenienter uero
uirgini annuntiatur incarnatio uerbi:
ut scilicet prius ipsum inciperet me-
te quam carne. **M**utans ergo
angelus nomen eue. dicit uirgini
aue: indicans eam ab omni ve-
beram. **Q**ue bene gratia plena di-
citur: quod alijs ad mensuram gratia
datur: hec autem sola gratia
quam nulla alia meruerit conse-
cuta est: ut gratie impleretur
auctore. **Q**ue cum gratia plena sit.
prius etiam quam concipiat: post concep-
tionem quantum dei habundat gratia
quis cogitare possit? **U**nus ieronimus
Et bene plena: quod ceteris per partes
prestatur gratia: maiore uero simul
se totam infudit gratie plenitudo:
bene gratia plena: per quam largo sancti
spiritus umbra perfusa est omnis
creatura. **Q**ue celis dedit gloriam.
terris deum pacemque refudit: fidei
gentibus finem uicibus: uite ordinem.
moribus disciplinam. **D**icitur
quoque ei dominus tecum. scilicet sit in uen-
tre. qui tecum est in animo: adimplet
ventrem. qui adimplet mentem.

quod et si tota saluatio angelus in se
uirgini gratissima: ista tamen clausula
dominus tecum potissime eam delectat
ideo singulari deuotione dicitur de eam
Licet enim iam eam in uirgine: non enim
tamen misit nuncium: quod modo singulari uo-
luit esse secum. **H**ec etiam sola per
omnes mulieres et super omnes mu-
lieres benedicta predicatur. **C**um
mulier subiaceret maledictioni dei
ut legis: nam corrupta subiaceret ma-
ledictioni dei quod ait **In dolo** par-
tes: uirgo maledictioni legis non
erat. **maledicta sterilis**: sed inania
utrumque maledictum uitauit: maledic-
tionem dei. quod uirgo promissit: maledic-
tionem legis: quod filium habuit. **U**nde
ipsa primicia uirginum dum primo
uiginitate sua de obtulit. **maledic-
tionem legis aboleuit**: et merito benedicta
dicitur: per quam mundus a maledic-
tione liberatur. **E**t notandum
quod super hac saluationem nunquam ho-
mo uenire ualebit: nec alius
excellens dulcis et gratiosus uirginum
uigine saluare potest: quam dicitur sa-
luatioem quam ipse deus per dicitur
et per angelum ei destinauit. **In** uir-
gine singulis dulcissima implen-
tur mysteria. **N**am deus per eam
sua omnipotentia confirmat: ut
esset inuis ab omni uerbo
tunc uirginum que filia

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13



...ATIO
...RA ET
...A HABI-
...NTIS IN
...UNI,
...HESES
...EO OPT. MAX.
...DE
...HORNEIO,
...alis Prof. Publ.
...ademia Iu-
...l. Decembr.
...efendet
...ORVS Specht
...ensis.
...STADI,
...ACOBI LVCI,
...cXXI.

8

